

SECULUM
X.

p. 170. seq.

huius unionis mentionem anonymus noster in toto suo opere ne verbo quidem faciat. Bucelinus propius adhuc monasterium S. Trudperti aliis per Ungaros vastatis adnumerat, in quo is magistrum novitiorum egit anno 1624. antequam vetustiora illius monasterii monumenta Suecico furore in cineres redigerentur. Unde assertius aliquid habere potuit, dum iteratam Ungarorum in Alpegoviam præprimis invasionem ad annos 925. & 929. in chronologia Constantiensi reponit, pro quibus chronicon Villinganum seculi XII. annum 931. habet.

Ignoratur equidem Cellæ Albæ nostræ in communi hac clade fatum; si tamen haud vanæ coniecturæ quid tribuendum videatur, ab ea immunis perstitisse merito censerî potest, quum ea a patentibus Rheni ripis nonnihil fuerit remotior, quas solas ab Ungaris ex utraque Rheni superioris ripa ad lacum Acronianum vastatas fuisse, ex allato superius N. I. Ekkehardi testimonio nobis verosimile fit. Ex quo simul confici putamus, Ungaros ex altera Rheni parte magis plana descendisse in Fricoviam, ubi iterum in utriusque ripæ planitie sese diffundere, & Seckingensem S. Crucis locum invadere potuerunt, quin tamen ad hæc loca pervenerint; necdum enim tunc ut infra videbimus, *Waldshut*um erat oppidum, aut locus habitatus, qui allicere Ungaros ad sui everisionem potuisset: ut adeo ex hac parte salva consistere omnino potuerit *Cella Alba*, a Rheno adhuc remotior, quocunque tandem Alpegovia substiterit loco. Quod autem Ekkehardus ibidem citatus notat, Ungaros de *Schwarzwalda* multis paratis navibus in Alfatiam irrupisse magis favet alteri opinioni; sic tamen intelligi potest, Ungaros nimirum fabricatis ex Silva nostra navigiis Rhenum in Alfatiam traiecisse quidem, uti id prius iam ab Attila factum ex Aufonio in superioribus retulimus: sed eosdem ex illa Silvæ Nigræ parte in Alfatiam irruptionem fecisse, quæ uti provinciæ illi vicinior, sic & ad exercitum capiendum multo aptior est, quam sit noster hic Silvæ Nigræ angulus, unde remotior habetur in Alfatiam transitus.

Exinde iam maior lux affunditur opinioni, Rhenaugienses sodales, qui Ungarorum internecionem fugientes, Rhenaugiam in patenti Rheni loco positam, a qua haud procul Ungari traiecerant, reliquerunt, in vicinum hunc saltum ad suos *Cellalbanos* sese recepisse, ubi in propriis suis ab hostium incursu securi degerent, donec tandem tempestas illa defervesceret. Quiete potro, Ungaris ab Ottone M. anno 956. devictis, restituta, aut antea etiam illis ab his partibus recedentibus, Rhenaugienses lares suos poterant repetere, ac illatas ruinas reparare, relata etiam secum e *Cella Alba* pretio-

fi